

Usus. Dosis est, ab octo, ad decem guttas, in aqua oxalidis, tormentillæ, plantaginis; contra omnes fluxus ventris & dysenterias. Stomacho etiam imbecilli corroborando convenit.

### TINCTURA CORALIORUM.

*Natura  
coraliorum  
in mari  
qualis.*

*Videtur in plin.  
Tinct. p. 503.*

Antequam ad coraliorum tincturas accedam: operæ premium me facturum existimo: si veterum errorem, de illorum naturâ paucis hic refutem. Existimant enim: coralium, in abysslo maris, molle esse; extra mare vero, demum durescere. Unde Ovidius ait, quarto *Metamorph.*

Nunc quoque coraliis eadem natura remansit: Duritiem tacto capiant ut ab aere, quodque Vimen in æquore erat, fiat super æquora saxum.

Et decimo quinto *Metamorph.*

Sic & coralium, quo primum contigit auras, Tempore durescit, mollis fuit herba sub undis. In eodem errore hæserunt & alii, ut in Dioscoride videre est, lib. 5. cap. 139. & adhuc sunt, qui eundem fovent. Monardes enim, de Ambaro differens, ait illud bituminis genus esse, ex fontibus, in alto puri manans, quod aeri expositum illico densetur, ut soleant pleraque, quæ sub marinis aquis te-